Laxato circinō ad placitum, ductâ peripheriâ ē centro C, ex cruribus dati anguli resecentur partes sive segmēta CF, CG, per probl. 1. Deinde non variatâ amplitudine circini ē cētro A peripheriâ ductâ HI. ex datâ AB resecetur segmentum AH itidem per probl. 1. ex ducto autem arcu HI resecetur arcus HK æqualis arcui FG, per probl. 2. Tum ducatur recta AK, per postul. 1. eritq; angulus BAK congruus angulo dato DCE.

4. Datum angulum rectilineum BAC bisecare.

Centro A, intervallo ad libitum describatur peripheria, secans crura āguli in D & E: deinde centris D & E concurrant (ē regione vel cōvexi vel cavi āguli) æquiradię peripheriæ in F. Linea recta ducta AF bisecabit angulum BAC, hoc est faciet angulos BAF & FAC inter se æquales.

5. Ex datis tribus rectis terminatis A, B, C, quarum nulla major, aut æqualis sit reliquis duabus simul sumptis, triangulum constructre.

Ductâ rectâ Infinitâ DE, ex ea abscindatur DF æqualis unidatarum, v.g. ipsi A. Deinde centro D, intervallo B, describatur peripheria GH, item centro F, intervallo, C, versus eandem plagam rectæ DF, describatur & altera peripheria IK, priorem secans in L; ducantur rectæ lineæ LD, LF. Dico triangulum DLF esse id quod requiritur.

Coroll 1. *Isosceles, item æquilaterum triangulum construere.*

2. *Dato triangulo triangulum congruum construere.*

3. *Quotcunq; punctis in plano datis, totidem puncta in alio plano congruè sita invenire.*

6. Datam rectam terminatam AB bisecare.

Ex terminis A, B, ut centris concurrant æquiradiæ peripheriæ in C. Ex ijsdem terminis (sc. A & B) iterum cōcurrāt (vel in eâdem vel in alterâ plagâ) æquiradiæ peripheriæ in D. recta CD ducta, bisecabit rectam in E.

N. 1. Eadem constructionis ratio est, si arcus AB proponatur bisecandus.

N. 2. Si in diversis plagis concursus fiant, unicâ circini divaricatione res confici potest.